Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 77
Quelle:
Copyright:

num trium Puerorum excipit *Ambrosianus*, tum *Canticum Zachariae*, et dissimulato *Magnificat* et *Nunc dimittis* statim *Symbolum Athanasii*, quod inscribitur *Fides Catholica*. Abhinc *Litaniae* OO. SS. quae unica oratione claduntur, in qua Deo commendantur *abbates nostri seu omnes congregationes illis commissae*. Aderant deinceps, ut conjicio, Officium de B. V. M. et pro Defunctis, sed haec relicta sola deaurata Litera, cui inscriptum: *Domine labia mea aperies*, studiose abrasa sunt, relicto solo posterioris Officii fine. Cur ita? Ἄδηλον.

LVI.

R. 2012 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 185. 8. luculente et bene perscriptus, minioque distinctus *Psalterium Davidicum* est ex usu Ecclesiae adhaerentibus, uti solent, nullo ordine Canticis Biblicis, Hymno *Ambros.* Symbolo Apost. Oratione Dom. et Fide *Athanasii*, denique Litaniis OO. SS. quarum tamen non nisi Initium superest, toto Codice non optime habito.

LVII.

R. 3037 Codex membraneus lat. germ. Sec. XIII. Folior. 186. f. per duas columnas charactere grandi eleganter exaratus, coloribus ornatus, et olim *Monasterij S. Dorothee virginis Vienne*, *Psalterium Davidicum* est versiculatim latinum et germanicum. En Psalmum I. versionis Specimen. *Der selich man, der engie nicht nach der ubelen rat. noch entstund an der sunder wegen. vnd ist auf des sterben sessel nicht gessessen. Sunder an der e des herren was sein willen. vnd an sein e gedacht er nacht vnd tage. Vnd wirt als daz holze, daz gepblanzet ist bei der wazzer lauf. daz sein wucher gibt ze seiner zeit. Vnd sein blat verfluzet nicht, vnd alleu sein werch ergent wol. Nicht so die ubelen nicht so! sunder als der staub, den der Wint ab der erde wet. Dar vmb erstent die vbeln in dem gericht nicht, noch die sunder in der rehten rat. Wand der herre erchennet der rechten weg, vnd der vbeln phat veruert.* Psalmo II. singularia sunt: fremuerunt *vndultent*, in margine *grisgrament*. Gentes *die Diet*. Subsannabit eos *wirt sev reitzent*. In furore *unsiticlich*. Terminos terrae *dev gemerch der erde*. In virga ferrea *mit der ysinen gerte*. Vas figuli *das uaz der hauener*. Exultate ei cum tremore. *Seit im fro bibend*. Interpretem non satis latine doctum fuisse produnt ultima: Cum exarserit in brevi ira ejus, *So er enbrinnet an seinem churcem zorn*. &c. *Fol.* 168. p. 2. sequuntur Cantica biblica, Hymnus *Ambrosianus*, Fides *Athanasiana* et Litaniae OO. SS. in quibus multi in *Germania* culti invocantur; *Rupertus* tamen et *Virgilius* abest. Plurima ex hoc Codice Glossemata legi posse, non est, quod moneam. Ita *chapben* (gaffen) suspicere; *bonchustig* dolosus, *Ufrunst* ortus solis, *Sedelganch* Occasus,

quod